


VTRIVSQVE
CASTILIAE
nova descriptio.



Notarum explicatio
Archiepiscopus
Episcopus
Academie
Veteres Urbium et Pro-
montiorum appellatio-
nes majusculis designa-
rimus hac forma
COMPLUTVM,
etc Recentes vero hac
Alcala de henares



CASTILIA VETVS & NOVA.

rum à Carolo V, multisque novis structuris auctum exornatumque. In hoc machina est Cochleata ex Tago flumine aquam in summam arcem attollens, quæ inde tubis & fistulis per universam non modo arcem, verum etiam urbem diffunditur in hortos, balnea, culinas, officinas, fullonias aliaque aquis destituta. Proximus urbi pons est supra Tagum; inde reliqua ad Orientem & Occasum utraque in amnis ripa hortis arboribusque plena sunt, jucundo admodum spectaculo. Agri solum leve & arenosum. Raræ hic pluvie, rari quoque fontes atque rivuli; quæ Tagus fluit; Vallis admodum læta & fertilis, licet angustior.

Divisio
Castelle
Novæ.

Dividitur Regnum hoc in Sierram, Algarriam & Manciam; Sierræ caput est Cuença, quæ rupes est aspera inter duo flumina & montes ædificiis optimis ornata multisque fontium scaturiginibus. Algarria à flumine Tago dividitur, frumenti, olei, vini, cannabis, croci, mellis, fructuum dives, Tajuna amne fecatur. Marchionatum habet Mondegiar & Ducatus Pastranzæ & Infantatus, multaque ampla & splendida municipia, quorum caput est Quadalaicara: Manciam à Tago irrigatur, illius caput est civitas regalis, Marchionatum habet Vigliene & Prioratum Castellæ, pluresque alias regiones & municipia.

Madritum.

Primaria civitas est Madritum, oppidum totius Toletanæ Dioceseos felicissimum, situm in editiori clivo & Septentrioni maxima ex parte exposito, cujus radices alluit modicus amnis, vulgo Guadarana dictus, qui saxo ponte transitur; situs amœnitate, aëris salubritate, soli fecunditate inter primas numerandum. Pyritæ lapidis toto territorio largus proventus. Frequens hic recessus & habitatio Regum.

Templum
Escuriacum,
Miraculum
Mundi.

Sexto hinc lapide abest Escuriacum, ubi magnificentissimum illud Sancti Laurentii monasterium visitur, Escurial vulgo; Philippi Secundi Hispaniarum Regis opus, quod Veterum profecto miraculis septem annu-merati potest. Frontispicium, Occasum versus, tribus superbit portis, quarum quæ media est, in templum augustissimum, cœnobium, collegiumque ducit: quæ vero ad dextram in officinas Monasterio sacratas; quæ ad sinistram, in domos Scholæ destinatas. Quatuor operis

torius angulos exornant quatuor turres arte mirabiles, quas etiam duæ superant ad ipsius Templi pedem, hinc inde fastu quodam assurgentes. Supra ostium templi magnificæ stylobatæ statuas sustentant ex marmore, topoque sex Israël Regum, pedes altas septendecim. Ad Septentrionem palatium templo vicinum spectatur, Regi regioque comitatu commo-destissime excipiendo paratum. Ad Meridiem variæ sunt porticus, hortus amœnissimus, omnisque generis herbis floribusque instructus; pomarium gratissimis constitum fructibus; item Nosocomium, Pharmacopolium & alia.

Alcana de
Henares.

Alcana de Henares, olim Complutum, urbs est in planitie sita, figurâ ovali, concinnis ædificiis, agro feracissimo: plateam habet insignem in longitudinem porrectam, porticibus utrinque ornatam, sub quibus frequentes ditæque mercatorum tabernæ. Academia denique hic nobilis habetur, qua nobilitatum est Complutum à Francisco Ximeno Cardinali, Archiepiscopo Toletano.

Modina Cœli olim ampla civitas & nunc Ducatus ca-put, ad quem octoginta circiter pagi pertinent.

Modina.

Aranguez locus delitiosus, à Tago & Xanama fluvio rigatur. Hipes agricolis sedulis frequens oppidum. O-canna, bellum municipium, focos numerat supra ter mille. Talavera ad Tago ripas, salubri aëre & solo fecundo posita est; ab hac in Prioratum Castellæ itur.

Aranguez.

In Prioratu Castellæ tredecim magna municipia numerantur, quorum præcipua, Tembleque, Conjuera, Alcazar.

Sequitur deinceps Vigliene Marchionatus antiquis-simus, in quo sunt Rueda, Albacete, Cinciglia, Villar, S. Clemente, Vigliena.

Collatio Pe-
teris & No-
væ Castellæ.

Castella Nova Veteri præstat & bonitate cœli atque soli & fructuum omnimodorum copia. Nam inter alios fructus, excellentibus olivis abundat, quibus Vetus fere destituitur. Pars tamen illa Veteris, quæ vulgo terra de Campos appellatur, inter Hispaniæ fertilissimas nume-rari potest. Nova Tagum flumen habet & fontes Anæ, sicut Vetus Duriam. Reliqua montosa sunt & satis ste-rilia.

CASTILIA VETVS

ET NOVA.



Origo
Nominis.

CASTILIA five Castella (nomen illi à Castello quod Pelagius Rex, recuperata à Mauris Legionem, tanquam propugnaculum adversus hostium incur-sus condiderat) quondam *Bardulia* dicta fuit, ab Hispanorum Geographis in Novam & Veterem distincta. Castilia Vetus re-

Terminus
Veteris
Castelle.

Imperium
Majorum.

spicit ad Septentrionem Asturiam, & ad Meridiem Portugalliam; ad Occidentem Castellam Novam; & (intercurrentibus montibus per totam Hispaniam pene se fundentibus) Orientem versus Aragoniam & Navarram regna. Regio omnino fertilis est frugum, vini, croci & omne genus animalium.

Est autem hujus regni origo ista. Pelagius Regis Roderici patruus, quum in Cantabriâ profugisset, eo tempore quo Theoberto fratri à Vitia oculi eruti fuerant, ibi tam diu latuit, dum recrudesceret bellum Saracenicum, victoresque Christianis rerum potestatem eriperent, eosque per universam Hispaniam occiderent. Pelagius igitur ad Astures profectus cum reliquis Christianorum, Rex illius omnis tractus factus est, ut & Galliciæ & Legionis, ubi etiam annos totos viginti regnavit. Has sedes posteri Castellam Novam vocaverunt. Ab hoc ergo frequentes Reges orti sunt. Fasilla primùm filius ipsi fuit & successor. Eum sequutus est Alphonfus, Petri Cantabrum Ducis filius, Fasellæ gener. Hic ob extirpatam hæresim Arrianorum primus Catholici nomen habuit. Successit Veremundus Alphonfi nepos, qui ex Diacono Rex, ex Rege monachus factus est & locum Alphonso secundo prioris filio reliquit. Hunc ferunt ab uxore abstinuisse, Saracenos magna internecione trucidasse, duas sedes Episcopales erexisse, Asturicenses & Onetenses. Is fuit ὁ ἡγῶν Caroli Magni. Alphonso secundo successit Ramirus, huic Ordonius, Ordonio Alphonfus III, qui fratres tres excæcavit. Hunc sequuti sunt Garfias, Froila, & Alphonfus IV, quem regio cultu deposito ferunt in Monasterium concessisse; inde quum regnum iterum peteret, à fratre Ramiro excæcatur. Ramiro successit frater Sanctius homo obesus, qui ad saginam illam corporis minuendam adhibuit hostis sui Regis Saraceni Medicos. Hi non sanarunt ipsum, sed entoxicarunt. obiit anno Domini 1428. Hunc sequuti sunt Ramirus, Alphonfus V, Veremundus, Ferdinandus primus Sancti Castellæ Comitibus filius, qui anno 1017 Castellam Novam ex comitatu Regnum fecit, quum antea per Comites fuisset administrata. Post hunc fuere Sanctius & frater Alphonfus VI, post hos Alphonfus VII, Sanctius, Alphonfus VIII, Alphonfus IX, Henricus, Ferdinandus, Alphonfus decimus.

Metropolis
Cast. Vet.
Burgos.

Metropolis Castiliæ Veteris est *Burgos*, quæ Ptole-mæo (uti opinantur) Branum esse volunt, sua ætate verneranda & ob multarum rerum varietatem, plurimum commendabilis, quare merito inter præcipuas Hispaniæ urbes habenda, sub se centum & quinquaginta casas habet. Platearum in primis & ædificiorum, pontium & templorum non modo dives, sed & incolarum varia negotiatione celebris. Episcopali insuper gaudet sede ab anno 1098. Castellum habet à natura magis quam arte munitum. Inter ædificia excellit amplitudine & splendore Palatium Comitibus stabuli.

Præter hanc sunt in Castella Veteri, Siguenza (licet

ab aliis Novæ attribuat) Segovia, Avila, Osma, Valladolid. Siguenza urbs sita in clivo muris egregiè vallata & adjuncta arce. Collis pedem flumen *Henares* alluit. Episcopali dignitate ornata est, septingentas numerat casas inquit Boterus & Academiâ habet. In illius Diocesi est Molina municipium octingentarum casarum.

Siguenza.

Segovia urbs in editiori loco sita, turribus undique & propugnaculis munita, lanificio præcipue clara; nec nobilior tota Hispania pannus, quam hic textitur, unde incolis magnæ opes. Atrium hic conspicitur, in quo omnium pene Hispaniæ Regum effigies conspiciuntur. Præcipuum vero urbis ornamentum aquæ ductus mirandi operis. Hic nostra memoria Germanorum opè & aquarum, inventa ratio cudendæ monetæ, non male colliso, sed fuso ac liquato demumque impresso, ducti are, auro argentoque. Solum fecundum. Episcopatus splendidus & opimus.

Segovia.

Avila oppidum in media planitie situm, montibus cingitur, vini præstantioris fructuumque feracibus. Secatur à flumine Algeberbe.

Avila.

Osma urbs trecentarum tantum casarum, Academi-am habet cujusvis pretii.

Osma.

Valladolid nobilissimum Hispaniæ oppidum ad ripam Pisurgæ fluminis, ædificiis tam sacris quam profanis, publicis ac privatis ornatissimum, omnium scientiarum nobilissimo Lycæo honestatur; acre saluberrimo, nisi interdum obscuris Pisurgæ amnis nebulis fœdaretur. Reges illam, tanquam placidissimum domicilium frequentant habentque hic plurimi Hispaniæ Principes ædes proprias.

Valladolid.

Præter hæc oppida sunt in Castella Veteri municipia multa, Frias, Birbiesca, S. Domingo de Silos, quæ Joanni de Velasco Comiti stabuli Castellæ parent: Miranda, Lerma, nunc famosi Ducatus caput: Soria, Almazan, Barlanga, Aranda vastum municipium. Pagna-fiel, id est, penna fidelis, cum castello in vertice montis & bellissimo ad radices palatio Ducis Oseunæ: Roa, Olmedo, Martimugnoz, Arenalo, Sepulveda, situ à natura munito, quippe excelso loco condita & asperis rupibus & flumine circumdata. Pars Castellæ appellatur Terra de Campos, in qua sunt Medina, Aguilær, Carnon, Palenza, aliaque. Ad Oceanum habet Santander & Laredum, magna & opulenta oppida, cum suis portibus satis commodis, & sinu totius hujus plagæ piscosissimo. Fuit in eodem quoque tractu olim *Numantia*, summum (ut inquit Florus) Hispaniæ decus, quippe quæ sine muro & turribus modice edito in tumulo situata ad flumen Durium, quadraginta millium exercitum per annos XIV sola sustinuit. Fuere & *Graccus* & *Turiso* & *Clunia*, quarum hodie vix rudera exstant.

Municipia
Castelle
Vet.

CASTELLAM NOVAM à Veteri dividunt montium juga, qui à finibus Navarræ orti totam Hispaniam ad mare usque Mediterraneum pervagantur. Novæ caput est Toletum, urbs in totius pene Hispaniæ umbilico sita, loco aspero & clivato, majorique ex parte amne Tago ambitur; à reliqua vero parte muris validissimis & centum quinquaginta propugnaculis egregie munita. Cœli soli que laudabili felicitate fruitur, lanificio sericique commercio opulenta. Aquæ ductus hic mirandi operis. Augustissimo & splendidissimo templo nobilitatur, nec non Academia literarum & sapientiæ officina. Porro inter hæc & alia permulta Toletanæ urbis memorabilia eminent palatium illud celeberrimum restauratum à

Situ.

Metropolis
Toletum.

